Vita miserrime diem extremum claudit. Quare quicquid ex-
ornare non potero, Vos AA. Sum. Vestra miseratione con-
pensate.

Qualis non in hortis Gethsemani, Ut hinc ordiar, illi-
constantissimi animi est aspectus? quomodo non ad Unam
cruciatus sui cogitationem insuetato quodam timoris gene-
re exhorruit? quomodo Divinum illud cor invicta fortitu-
dinis domicilium non alienis armis, sed suis cogitationibus
tumultuantibus quasi intestino praelio concutitur. quomodo
sanguis ad cordis arcem Veluti praesidiarius miles in periculis
accurrere assuetus ex eodem corde tanquam ex arce direpta
factis toto corpore hiatibus, erumpere cogitur, et membra
omnia cruentare? O dolores in sola Vel imagine intolerandos!
Ut quid haec subita sine hoste caedes? sine Vulnere cruentatio?
Ut quid hic ante corporis funus publicus luctus membrorum?
mortem nim. si bene sentio quasi blandimentis invitat, et
quia eam amplecti non potest, animo saltem, et cogitatio-
ne delibat, Ut miser sit ante miseriam, et futuras aerumnas
cogitatione antevertat, mortemque ipsam cunctantem invitet.
Magna profecto, atque insuetata PER hoc fuit mutatio, quae
tantum a Divinitate Videtur abesse, quantum a pietate non
abest. At quae illa fuit facies, quae deinde consecuta est?
Adhuc roseo cruore natantem mitissimi Salvatoris faciem
ecce Iudas e duodecim Unus Apostata, ac religionis desertor
fictis subdola salutationis officiis osculo invadit: siste, siste
gradum sacrilege, quid agis nefarium caput? osculo Magistrum
tam bene de te meritum hostibus tradis? num ignoras, quod
dum innocentem illi necem adornas, infelix ad laqueum festi-